

dicabimus. Uſu hîc interdum venire animadvertimus, ut particulae *ſimilitudinis* indices ſive *inſeparabiles*, ſive *ſeparatae* non tam *ſimilitudinem* quam *concurſum* aut *ſocietatem* deſignent. Ita cùm Achab rex Iſraëlis, contra Syriae regem in aciem proceſſurus, è Joſaphato Judee rege quaereret: *Iſne mecum ad bellandum contra Ramoth Gilead?* Joſaphat autem reſponderet: *Sicut tu, ſic ego ſicut populus tuus, ſic populus meus, ſicut equi tui, ſic equi mei erunt* 1. Reg. XXII. 4. idem fuit, ac ſi dixiſſet: *Ego tibi, populusq; meus populo tuo, equi denique mei equis tuis aderunt ſocii ad dimicandum cum Syriae rege.* Ac tales quidem phraſes Rabbinum dicunt adhiberi לקצר הלשון abbreviandi ſermonis cauſa; cùm plenè ea ſic efferri debeant: *Ego ero ſicut tu, & tu eris ſicut ego, populus meus erit ſicut populus tuus, & populus tuus ſicut populus meus &c.* Qualis ut ſic dicam *reciprocatio* in verbis noſtris Hermeticis eſt. Quæ hoc idiotiſmo Linguae S. expoſita, non nudam *ſimilitudinem* ſuperiorum atq; inferiorum, (ut interpretibus viſum,) ſed *concurſum* quoq; atq; *unionem* inferunt; id quod Hermetis Filio probè notandum. Quod deinde additur: *ad perpetranda miracula rei unius*; obſervari debet, præfixum ה infinitivis junctum locutiones ejuſmodi gerundio-participiales conſtituere, perq; *conjunctionem* ut exponi: *Hypallagen* quoq; Ebraeis illam familiarem eſſe, qua *concurrentibus duob; ſubſtantivis*, id quod epitheti loco eſt & *adjectivè ſumi* debet, præcedit. v. g. Pf. XXXVII. 2, כירק דשא ſicut viror herbae, i. e. ſicut herba viroris, h. o. ſicut herba viridis. Sic ergò in tabula verba hæc, לעשות פלאי דבר אחד, hunc gignunt ſenſum, ut producant rem unam omnium mirificiſſimam. Judica nunc O Fili Hermetis! de iis, qui per miracula rei unius Lapidem Philoſophorum aurificum indigitari volunt.